



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Concilia Provincialia Mediolanensis Sex**

**Borromeo, Carlo**

**Venetiis, 1602**

Visitationionis officium multiplex. Cap. XXV.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62072](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62072)

10 Vt in cuiuscuiusque tugurio, cubiculouè ad lectum sternendum quo ad eius fieri potest, satis paleæ sit, culcitra item stramentitia, & cento, lodixuè.

11 Vt quibus vel ex morbo laborantibus, vel suspectis, lectus, stramentis laneis, aliaque supellectile apparari, & sterni debet, ij pro ratione, statuque personarum, illud ipsum commodum consequantur, & ministri item publicè ad locum curationis constituti.

Vt iisdem ministris, alijsque rectè ualentibus victus certa ratione suppeditetur, qui satis sit.

Vt ægrotis item statà hora subministretur, quibus etiam ratio adhibeatur cibi, qualis sit, & quantus, & quo item modo præbeatur.

Vt medicinarum, medicamentave in tempore, certisque præscriptis horis, & ordine apparentur, conficiantur, & præbeantur.

12 Vt & uestes, & supellex, & tuguria, cubiculave, quæ ex asseribus constructa sunt, ubi peste infecti, suspective manserunt, aut mortui sunt, prout oportunitas tulerit, diligenter purgentur. Illa uerò tuguriola ex paleis inflammentur. Nec uero usui sint alijs, qui solum suspecti sunt.

Vt ea ipsa tuguriola, cum opus est, palea recenti, cum intrinsecus optimè circumuestiantur; tum extrinsecus undique obtegantur, ut nè quando pluuia influat.

Vt mortuis efferendis, & sepeliendis nihil contrà agatur, fiatue, quàm de efferendi, sepeliendive modo, & de loco, ubi sepeliendi sunt, Episcopus statuerit.

Vt uerò hæc omnia in executionis usum rectè inducantur; Parochus, omnisque alius Sacerdos, quicumque intra tuguriorum septa curam gerit, præfectus regionarius, & Vicarius foraneus, ut diligentissime poterunt, curabunt, crebris cohortationibus, assiduisque ad monitionibus, omni caritate plenis; atque ad eò, ubi opus est, reprehensionibus. Et omni præterea paterno officio cum illis agent, ad quos summa curationis spectat, ut ordine, & quàm rectissimè cuncta gerantur. Quod si ne his quidem officijs, quicquàm adiuuenti ad rem optimè administrandam non afferent; per fugiũ, ut primũ possunt, ad Episcopum habebunt, cuius consilio, studio, ope, & auctoritate, etiam apud magistratum, ut opus erit, si quæ perperam aguntur, ad rectam normam redigantur.

Visitationis officium multiplex. Cap. XXV.

SUMMARIUM.

Visitationis officium multiplex in quibus consistat. num. 1.

Regionum

- Regionum præfecti }  
 1 Vicarij foranei } quarum rerum executionem procurent.  
 Visitatores }  
 2 Loca curationis publicæ visitent: ob eamque rem quid inquirent.  
 3 Episcopi visitationis officia.  
 4 Litteræ pastorales ad populos.

1 **E**A omnia, quæ paulò ante, & mòx infra demonstrantur, vel ad cautiones, vel ad curas, vel ad pietatis exercitationes, vel ad hominum mores, vel ad Sacerdotum in primis vitæ honestatem, & disciplinam pertinent, vt rectam omnem executionem habeant; hoc præfecti regionarij, aut Vicarij foranei, alijque Episcopales visitatores videbunt, curabuntque diligentissimè.

2 Quare loca publicæ curationis frequenter, vel quotidie potius cum opus erit, visitabunt, cunctaque perspicient, atque explorabunt, tumque ad peste languentium, suspectorum, aut animæ salutem, aut corporis curationem spectant; tum etiam quæ de eo genere omni speciatim, vniuersèque conscripta sunt.

Ac si quid vel deesse, vel in aliqua re peccari, offendiue viderint, ad ipsum Episcopum referent, qui de omni cautione, cura, piaque exercitatione, & disciplina sollicitus, in omni executione, vt opus erit, studiosè euigilabit.

3 Episcopus verò frequens in eo erit, vt vniuersos, & ferè singulos, peste vel infectos, vel suspectos, inuisat; paterna caritate consoletur, Episcopali liberalitate, & eleemosyna, quam manu sua præbebit, subleuet, si quos, inopia laborantes viderit: documenta opportuna det, atque accommodata ad sanctè, & cum Dei voluntate congruenter vitam agendam, mortemque fortiter, Christianoque more in Domino obeundam.

Crebrò item familias, quæ domi ob suspicionem se continent, breui sermone alloquetur, & ostendet in primis quæ vnicuique agenda sint, quæ rursus fugienda.

Sæpè præterea in Diocæsibus loca infecta, suspectaue excurret, cunctaque oculis, paterna caritate incensus, illustrabit, vt populo suo afflicto, percusso, & penè prostrato, consolationes, remedia, subsidia, & alia Episcopalis dilectionis officia adhibeat, & præster.

Non visitatores solum, sed alios etiam sæpè mittet, qui hæc eadem officia præstent.

Præfectorum, curatorum, & ministrorum publicæ curationis, operam, studiumque excitabit.

Si

Si quos negligentes, & delinquentes in officio comparerit, cum ijs non modo cohortatione, monitione, sed aliquando etiam seueriore obiurationis acerbitate aget, vt sui quique muneris partes rectè, diligenter, & salutariter exequantur.

Si verò aliquando monitos obstinatè operam dare cognouerit, vt contumaciter, malèque agant; vt isti ab officio suscepto amoueantur, curabit, atque efficiet.

Monattorum vitia, quæ in eo genere hominum grauissima inesse solent, increpabit acerrimè. Sique hac via non succedet, vt in officio rectè agendi se contineant, illam aggredietur, vt magistratus pœnas reposcant flagitiorum, quæ admiserint.

4 Et quoniã per Episcopales occupationes omnibus locis præsens ad esse non potest, eam etiam rationem aliquando inibit, vt ad populos litteras pastorales scribat, quibus illos consoletur, confirmet, & excitet ad optima quæque, prout occasio tulerit.

Cura spiritualis sigillatim vnicuique peste affecto,  
vel suspecto à Sacerdote adhibenda.

Cap. XXVI.

S V M M A R I V M.

- 1 Cura spiritualis vnicuique peste laboranti, suspectoque à Parocho, Sacerdotenè præstanda in his consistit. 8.
- 2 Vt illum celerrimè inuisit; & sine mora sacramentum Penitentiae ministret.
- 3 Vt illi Eucharistiam pro viatico quàm primùm tradat, vbi certum sit eum peste infectum. 10. Vbi verò in suspitione tantum sit, vti communionem ministret. 9.
- 4 Vt extrema vnctionis sacramentum sine mora conferat: vbi mortis certitudo sit. 11.
- 5 Vt facultate absoluendi à casibus reseruatis non abutatur.
- 6 Vt indulgentiam concedat Episcopalemque benedictionē impertiat.
- 7 Vt illum mortuum suffragijs adiuuet.
- 11 An supradicta diligentissimè præstentur, à quibus inquirendum.